

- volumus dari debere petitionem in scriptis, preter quam de pane vino carnibus victualibus pensionibus domorum, de debitis contentis in instrumento vel instrumentis preceptis legatis vel scripturis manu propria, in quibus procedi volumus ¹⁾)
- 5 sine oblatione libelli secundum formam statutorum spetialium loquentium de predictis, et exceptis casibus spetialibus contentis in statutis Tergesti, in quibus continetur quod sumarie vel sine oblatione libelli vel alio quoquo modo, ut in eis continetur, procedi debere[t], quibus nolumus in aliquo derogare.
- 10 ¶ Preterea volumus quod, si non appareret litem contestatam esse super aliqua petitione in scriptis, sed appareret locatum esse aliquem terminum tam actori quam reo ad ponendum vel probandum in principali causa dicte petitionis, quod tunc habeatur pro lite contestata et intelligatur litem fore contestatam.
- 15

Cap. VII. Rubrica de procuratoribus. R.ca.

- G ratanter duximus statuendum quod procuraciones, que scripte sunt per cancellarios comunis in eorum quaternis et que de cetero scribentur tempore eorum offitii, habeantur et reputentur procuraciones in actis et sollempniter et legitime facte, etiam si facte essent extra palacium comunis, et de eis non // possit peti copia neque dari nec contra 192 B ipsas opponi, et tales procuratores sic constituti habeantur et intelligantur habere legitimum mandatum ad agendum et defendendum et omnia alia faciendum, que causarum merita exigunt et requirunt in causis generalibus et spetialibus, prout fuerint constituti per dominos eum vel eos constituentes.
- 25

¹⁾ Aggiunta marginale.